DE PROGNOSI MEDICÂ

EX NECROLOGIS ERUENDÂ.

v. Prosper Alpinus; De præsagienda vita et morte ægrotantium

DISSERTATIO MEDICA,

Quam propugnabit ab octavâ ad meridiem in Auguſtiſſimo Monſpelienſi Apollinis fano, die 3.° menſis Maii, anni 1762, JOSEPHUS GALTIER, Muratenſis, Diœceſis Caſtrenſis apud Occitanos, Liberalium Artium Magiſter, & jamdudùm Medicinæ alumnus.

Pro Baccalaureatûs gradu conſequendo.

IN Morbis acutis omnis prognoſis ſivè ad ſalutem, ſivè ad mortem incertiſſima eſt, *ut ait Hippocrates*, aſt in pluribus chronicis ſatis certa; ut autem tùm in illis, tùm in iſtis probabilitas promoveatur, nulla alia methodus tutior eſt quàm quæ ex ſœpiſſimè obſervatis eventibus, futuros in ſimilibus circumſtantiis & conditionibus per inductionem determinat.

Hanc autem futura præſagiendi methodum ſcientiæ nomen quoddam merituram fore haud dubium eſt, cum probabilitatem ipſam calculo ſubjicere jam cœperint egregii Mathematici, *Montmort*, *Bernoulli*, *Sgraveſandius*, aliique.

Verùm ad hujus ſcientiæ fundamenta neceſſarius eſt immenſus numerus obſervationum, quæ jam à duobus ferè ſæculis colligi cœpere, & quotannis in faſtis paræciarum tùm natalibus tùm emortualibus cumulantur.

Ex his invicem collatis eruditi viri confecerunt tabulas, in ſcriptis *Halleyi*, *Kerſeboomii*, *Deparcieux* potiſſimùm reperiundas, quarum partem in calce hujus opellæ apponere viſum eſt; ex quibus pro quâlibet ætate, quænam ſit ratio natorum & viventium ad mortuos, quænam proindè vitæ aut mortis probabilitas quiſque perſpicere valet; optandum certè foret ut in faſtis emortualibus Parochi non ſolùm nomen mortui, ejus ætatem, ſexum, mortiſque diem ut aſſolent; verum etiam ut morbi ultimi nomen quoquomodo à parentibus datum, referrent, ut apud Anglos, Germanos & Batavos dudùm mos invaluit; aſt multò utilius ut in Tabulis à Medicis vaſta Noſocomia curantibus aut Studioſis ea inviſentibus, ægrorum quolibet menſe ingreſſorum, morbi nomine appoſito, numerus in primâ columnâ recen-

feretur, in alterâ sanati, in tertiâ mortui, in quartâ ad alterum mensem residui referrentur; atque anacephalæosis cujusvis mensis & anni termino adderetur. Hoc opus per aliquot annos continuatum plus prodesset quàm millena alia volumina.

Similem in se præsidis hortatu suscepit antè sex annos laborem egregius Medicus, qui indè Tabulas Nosologicas utilissimas confecit, quarum specimen lege pag. 9.

Ex his Tabulis 518 ægri, mensibus Junio & julio anni 1757, Nosocomium ingressi sunt, quorum 25 intrà hoc bimestre spatium obiere. Si post 10 vel 20 annos eadem ratio ægrotantium in Nosocomiis obviorum ad mortuos reperiretur, indè certum ferè esset in similibus circumstantiis vigesimam tantum partem morborum acutorum & chronicorum promiscuè in tali Nosocomio obviorum letho terminari. Quod certè nosse utilissimum foret ad prognosim; quod autem ad prognosim utile est, id ad praxim fructuosissimum censendum est. Nam, *ut innuit Hippocrates*, sivè morbi salute terminandi sint, sivè letho, nil gloriosius est Medico, quàm eventum initio præsagire, & simul ad curam rectè instituendam, nil est magis momentosum, quàm Historiam morbi seù ejus eventus prævidisse.

Sic in Variolâ cujus Historiam numerosis observatis satis fidam nobis tradidit *Sydenhamius*, ex hâc futurorum eventuum cognitione quid agendum, quid non agendum initio ipso morbi prospicimus; in morbis è-contrà novis, nondùm cognitis, seù quorum eventus ignoramus, *ipso fatente Sydenhamio*, primi saltem qui curæ Medici se commitunt, maximè periclitantur.

In casibus fortuitis & æque possibilibus quorum determinatus est numerus, facilè determinatur possibilitas eventûs fausti & infausti. Sic in ludo abaci in quo duabus tesseris utimur, quarum singulæ sex hedras punctis notatas gerunt & quorum punctorum in binis simul numerus ad 36 assurgit, quolibet harum tesserarum jactu, possumus 36 contrà 1 deponere, certando fore ut talis vel talis combinatio eventura vel non eventura sit.

Verùm cum plurimæ simul ut in morbis circumstantiæ & conditiones interveniunt ex quibus eventus mirum in modum variare potest, non nisi ex millenis & millenis observationibus eventum faustum vel infaustum possumus præsagire.

Tanta est vis observationis repetitæ, ut eventus qui in infinitis ferè casibus comperti sunt, prò certissimis apud omnes habeantur, licet nec revelatio, nec ulla demonstratio prognosim tueatur. Sic nemo sanus dubitat quin hancce diem altera subsecutura sit, quin ipse intrà sæculum circiter moriturus sit &c. Atqui hæc certitudo solâ repetitâ observatione constat, & constat licet ignoremus causam rediturae lucis Solaris & adventuræ mortis, licet infinitæ sint circumstantiæ in singulis hominibus diversæ, quæ vitæ terminum possunt procrastinare.

Ex Tabulis *Kerseboomii* numerus natorum quolibet anno in Populosis Provinciis unitis, quarum sunt 980000 incolæ, est 1 : 35

totius Populi. Numerus autem natorum in gentibus quæ vix emigrant, eſt circiter æqualis numero illorum qui annuatim moriuntur, ſi gens nec creſcat, nec decreſcat ſenſibiliter, undè ferè certò eruere poſſumus in Civitate ſingulis annis quemlibet $35^{um.}$ moriturum eſſe, & reciprocè ex numero funerum in datâ Urbe per 35 multiplicato, eruimus numerum habitatorum.

ÆTAS.

Vita media ea eſt quam quis probabiliter attinget; ſic vita media recens nati eſt 25 annorum & 9 menſium, octogenarii eſt 4 ann. 7 menſ., centenarii eſt o.

Vita media ſeù ſpes probabilis vitæ creſcit ab ortu ad annum quintum in quo eſt 38 ann. indè verò ſemper decreſcit eundo, ſed tardiùs; quippe anno $10^{o.}$ eſt $36^{ann.}$ $11^{menſ.}$; $15^{o.}$ eſt $33^{a.}$ $9^{m.}$; $20^{o.}$ eſt $30^{a.}$ $9^{m.}$; $40^{o.}$ $20^{a.}$ $7^{m.}$; $60^{o.}$ $11^{a.}$ $6^{m.}$; $70^{o.}$ $7^{a.}$ $7^{m.}$; $90_{o.}$ $3^{a.}$ $7^{m.}$; &c.

Tenacitas vitæ eſt eò major quò major eſt expectatio vitæ probabilis & quò ætas eſt provectior, ſeù eſt ut numerus ætatem exprimens, ductus in numerum quo vita ejus ætatis media exprimitur. Tricenarius ſeù qui $30^{um.}$ annum attigit victurus eſt probabiliter $25^{a.}$ $6^{m.}$, decennis verò triplò minùs annoſus non expectare poteſt triplum hujus vitæ ſeù $76^{a.}$ $6^{m.}$, ſed tantùm circiter 37 annos; ergò tricenarii vita eſt ferè duplò tenacior quàm decennis.

Pari examine inſtituto evidens erit vitæ tenacitatem maximam eſſe à $10^{o.}$ ætatis anno ad $50^{um.}$ anteà verò & poſteà minorem.

Indè verò quid ad Medicam prognoſim conſequatur, facile eſt eruere; ſcilicet multò feliciùs ominandum eſſe in morbis de cætero paribus, quo vitæ tenacitas eſt major, ſcilicet prognoſim, in morbis recens natorum, ut plurimùm eſſe infelicem, ſi cum prognoſi Adultorum conferatur, infeliciorem verò prognoſim de morbis eorum qui $70^{um.}$, $90^{um.}$ &c. annum ducunt, ſi par ſit aliundè morbi genus & gradus.

Ut verò principium illud clariùs eluceſcat, quæ ex Necrologo parœciæ B. Virginis in hâc Urbe deduximus, referre juvat.

Ex 170 Infantulis antè duodecimum ætatis menſem defunctis, numeravi mortuos intrà primum menſem ætatis, 92, à primo menſe ad ſecundum, 11, à $2^{o.}$ ad $3^{um.}$, 8; à $3^{o.}$ ad $4^{um.}$ 4; & ſic

Menſes ætatis	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12
	92	12	8	4	5	5	4	15	10	12	4	0

undè colligitur primo menſe multò & in hoc caſu triente plures obiiſſe duobus primis ætatis menſibus quàm decem reſiduis, & primum menſem eſſe aliis longè funeſtiſſimum.

Ab anno 1739 ad 1744 in hâc paræciâ obiere 96 Infantuli uno anno minores, & ex illis ter decies plures obiere, primâ ſui ortûs quàm aliâ quâvis die; ergo dies funeſtiſſima eſt prima dies quâ naſcimur.

Ex Tabulis ad calcem adjectis, quisque videre poterit; quid sentiendum de annis climactericis quos 49um., 56um., 63um. esse putat *Marsilius Ficinus*, cùm neuter ex his æquè sit funestus ac primus ætatis annus, quippè ætatis anno 49°. 1:46; 56° 1:33; 63°. 1:24 viventium fato fungitur, cum primo anno quarta pars moriatur. Primus itaque annus est sexies saltem periculosior 63°.

Jam ut ad tempestates & menses deveniamus ex Illustrissimi Præsidis observationibus collatis cum illis quæ *Uratilasviæ* & *Londini* institutæ sunt, in hâcce meridionali Regione, tempestates calidæ sunt paulò funestiores frigidis & è-contrà in Regionibus illis frigidis, frigidæ sunt pluribus funeribus insignes quàm calidæ; mortuorum scilicet relatio est

	Vere	Æstate	Autumno	Hyeme
Monspelii	390	597	407	352
Londini	307	286	287	286

ast fateor intrà tempus dictarum observationum viguisse Epidemias Variolosas quæ maximam stragem Julio & Augusto mensibus ediderunt.

In Nosocomio generali satis constanter observatur accedente frigore Hyemali plures senes quàm aliis tempestatibus è vivis excedere, & certè plures Infantes mensibus Æstivis quàm aliis Patriam Cælestem repetere soliti sunt. Undè propositio antecedens, frigus scilicet frigidis, fervorem calidis esse funestum, confirmari videtur; contrà quàm Docuere *Galenici*; dùm aïebant similia similibus conservari, nec mentem suam satis determinatè explicabant.

Mortalitas diversis anni mensibus respondens est his numeris expressa juxtà memoratas observationes ab anno 1744 ad annum 1751.

Januario	Februario	Martio	Aprili	Maio	Junio
205	181	190	144	153	138
Quintili	Sextili	Septemb.	Octob.	Novemb.	Decemb.
181	199	199	206	168	196

Vita media diversorum locorum non ità quoàd aëris temperiem discrepantium, maximè discrepat, & ut hæc pro Urbibus & Villis diversis determinetur, optandum est.

Ad hanc obtinendam inquiratur ab omnibus matribus obviis indiscriminatim, quot natos pepererint; quot menses vixerint qui jam obiere, quotum annum verò ducant cæteri; mensibus viventium & mortuorum addantur menses & anni quos viventes pro suâ ætate expectare debent, juxtà Tabulam inferiùs appositam, atque his tribus summis simul per numerum natorum omnium divisis, quotiens vitam mediam hujus familiæ exprimet; & si plurimarum Urbis familiarum vitæ mediæ addantur, atque per familiarum numerum dividantur; habebitur vita media tribûs, Urbis &c.

Eo modo Illustris Regiæ Scientiarum Societatis Monspeliensis Socius D. *Deparcieux* invenit vitam mediam in Villis Gebennensibus quibusdam

esse 41 annorum ; Lauduni apud Picardos 37 ; Lutetiæ verò 21 an. 4 mens. Exemplo sit Familia octo natis conflata, A, B, C, D, E, F, G, H.

FAMILIA.

A hodie numerat	12 an.	0 mens	Vita media	41 an.	7 mens.
B.	10	4		42	9
C	8	8		43	11
D	7	6		44	2
E.	4	5		44	3
F. vixit	0	1		*	*
G. vixit	0	7		*	*
				216.	8.
H obiit die ortûs.	0	0		43.	7.
	43 an.	7 men.		260.	3.

Si summa vitarum præcedentium & mediarum 260 an. 3 mens. dividatur per numerum natorum 8, quotiens dabit pro vitâ mediâ Familiæ 32 an. 6 mens. . jam si ex decem Familiis summa vitæ mediæ sit cognita, hæc summa divisa per numerum Familiarum dabit in quotiente vitam mediam harum decem Familiarum & sic deinceps.

Ex his principiis posset deduci cur datæ Urbis incolæ sint vivaciores cæteris, conferendo mores, victum, aërem, temperiem, aliasque circumstantias. V. g. Londini, & in diversis Germaniæ ac Bataviæ magnis Urbibus, vita media est longior quàm Parisiis, quoniam in hisce Regionibus matribus suos natos lactare & sic accuratiùs eos custodire ; Parisiis verò mos est maximam partem Infantum, nutricibus exteris multò minùs sedulis credere, verosimile est plures incuriâ Matrum Infantes Parisinos quàm Germanos & Londinenses occumbere.

Reapse Parisiis numerus Baptismatum excedit numerum Funerum, atque compertum est 9000 Infantum Parisiis natorum, extra Urbem fato fungi singulis annis, quorum magna pars si nata foret in Villis & à Matribus suis educata viveret, major verò si in Villis in quibus vita media longior est, ob Præsidiorum sanitatis, ut aëris, cibi, potûs &c. præstantiam.

ARTIFICES.

Si quis Medicarum rerum curiosus, inquireret vitam mediam cuique vivendi modo & singulis artificibus propriam ; scilicet sedentariis, stantibus, rhedariis, cursoribus, agrifossoribus, nec-non viris diversarum conditionum, ut Medicis, jurisperitis &c. ; is certè non inutilem ad prognosim, imò Aitiologiam morborum, navaret operam. Facile crediderim operarios qui violenta exercitia tolerant, citiùs senescere & minùs longævos esse artificibus mediocriter se exercentibus, pauci sunt bajuli, fossores octogenarii. Vita Militum media, ratione periculorum quibus exponuntur, fortè brevior est quàm Monachorum.

SOCIETATES

Vita verò media in diversis vitæ generibus, computari debet ex ætate quâ illud vitæ genus amplexantur. Academici Parisini circiter inter 35 um. &

40um. ætatis annum cooptantur, illorum verò numerus est inter 75 & 80; docet autem observatio quinque intra biennium è vivis excedere solitos esse, adeòque ex quadraginta hujus ætatis & sortis, 5 intrà quadriennium morerentur & ex octo, pari passu, unus intrà quatuor annos obiret, aut ferè 16, ab initio hujus sæculi, quod satis consonat, cum salubris Academiæ in quâ sunt octo Professores, Necrologo.

A Sancto Petro ad initium hujusce sæculi 1700, numerantur 243 Summi Pontifices, diviso hoc tempore per horum numerum, exsurgit vita media Pontificum Romanorum æqualis circiter 7 annis, vitâ mediâ septuagenarii paulò major.

Qui in Urbem è diversis Provinciis appellunt ut studio operam dent, sunt ut plurimùm vegetiores quàm qui ex Patriâ vix recedere valent, ob infirmitates quibus nulla ferè est immunis numerosa Familia, atque sæpiùs ætatem ducunt inter 15um. & 20um. annum.

Cum autem juxtà Tabulas D. *Deparcieux* ex 100000 hominibus 44948 ad 15um. annum deveniant, ex istis verò à 15°. ad 20um. 1882 progrediantur; verosimile est ex 200 non nisi 8, intrà 5^{an}. & 4. vel 5 intrà triennium obituros, quod ab experientiâ non recedit: dimidia verò pars temeritati suæ seù imprudentiæ illud infortunium imputandum habet, potiùs quàm morbis quos humana natura parùm cavere potest.

SEXUS. Sexûs diversitas non exiguam in vitæ mediæ æstimatione secum importat differentiam, quam ex omnibus Necrologis eruere facile est; verùm aliis anteponimus fastos Parœciæ Sti. Sulpicii Parisiorum deductos ab anno 1715 ad 1745. Intrà illos 30 annos baptismata masculorum fuere 35731, fœminarum 34069, seù ut 24 : 23.

Plures itaque nascuntur mares quàm fœminæ, sed vita fœminarum longitudine suâ compensat quod individuorum numero deficit.

Quotannis in hâc parœciâ numerus Baptismatum est ad numerum funerum ut 23 : 16, Monspelii ut 348 : 339, seù plures nascuntur, quàm in his Urbibus moriuntur, quia Infantes nutricibus exteris commissi, & Adulti multi peregrè profecti, extra Urbem Patriam fato cedunt; Londini verò dum 176 nascuntur, 268 in Urbe obeunt.

Ex 10333 qui intrà primum annum moriuntur in Parœciâ Sti. Sulpicii sunt mares 5718, fœminæ 4615, seù ut 57 : 46.

A primo anno ad 5um. ut 5925 : 6093.

A quinto ad 10um ut 1597 : 1536.

Ergo ab ortu ad 10um. annum mares unâ decimâ tertiâ parte vivaciores fœminis, si nulla habeatur numeri subjectorum ratio.

A 10°. ad 20um. annum plures mares moriuntur quàm fœminæ, quatenùs sunt reapse illis numerosiores, vivacitas itaque eadem est.

A 15°. ad 20um. obeunt 955 mares præ 927 fœminis.

A 20°. ad 45um. mares 31 pro 30 fœminis obeunt, licet graviditate & partu istarum plurimæ divexentur; sed solius sexûs respectu habito, & sequio-

ris minori numero, vix pauciores fœminæ quam mares occumbunt, quod de Mulieribus seù conjugio vinctis verum non est.

Quoniam verò in summâ paulò pauciores obeunt fœminæ in Adolescentiâ quàm mares, plures fœminas post sexagesimum annum & in provectiori ætate, præ viris obituras esse consequens est.

Antè sexagesimum scilicet plures obeunt mares quàm fœminæ, etiam in majori ratione quàm individuorum numeri, seù quàm 24: 23; ast post 60um. fortuna mutatur illicò & plures respective fœminæ moriuntur.

Sic à 60o. ad 70um. ætatis annum, dum obeunt 3941 mares, 4668 fœminæ recedunt, & ab anno 70o. ad 100um. præ 5575 maribus, 8391 fœminæ eripiuntur.

Denique ultrà sæculum ex 100000 hominibus silicernia masculina sunt 57 & fœminea 107, in summâ itaque ante sexagesimum annum plures masculi, post illum terminum tantò plures fœminæ, fato funguntur.

Verùm diversa conditio in hisce diversitatem affert, quippè in utroque sexu, vel Cælibes sunt vel Conjuges aut Vidui, alii Sæculari, alii Monasticæ vitæ addicti & diversa est in diversis conditionibus vita media.

Intrà 30 annos Sepeliebantur Parisiis in Parœciâ memoratâ. *CONJUGIUM.*

17578 Filii, 5079 Mariti, 1416 Vidui.

15118 Filiæ 5413 Maritæ, 3936 Viduæ.

Plures itaque sunt Filii quàm Filiæ in Urbibus Populosis, piures Maritæ quàm Mariti, qui Peregrinantur aut Militant, dum Maritæ domi remanent, & ferè triplò plures Viduæ quàm Vidui, eâdem ratione absentes, & quorum plurimi in juventute obierunt, dùm Viduæ multùm senescunt.

A 20o. ætatis anno ad ultimum senium obiere.

3552 Filii, 5076 Mariti, 1416 Vidui, summa . . . 11044 mares.

2172 Filiæ, 5367 Maritæ, 3935 Viduæ, summa . . . 11474 fœminæ.

A 90o. ætatis anno ad 100um. obiere.

6 Filii, 8 Mariti, 35 Vidui.

1 Filia, 1 Marita, 105 Viduæ.

Ex his intelligitur infrà 30um. annum, præ 17 masculis obire 15 fœminas innuptas, sed numerus absolutus masculorum vix excedit 1 : 18â. parte numerum fœminarum; ergo Filiæ sunt paulò vivaciores Filiis intrà hanc ætatem.

Intrà hanc ætatem præ 50 Maritis obeunt 54 Maritæ, ergo ob partus, verosimillimè plures hâc ætate obeunt feminæ quàm Mares 1 : 12â. parte.

Verùm si computemus funera Maritorum & Maritarum, à 20o. ætatis anno ad 60um; inveniemus priora 2749, posteriora 3914; quia haud dubiè eâ ætate Mulieres, à graviditate, partû, & sequelis partuum ac suppressionis catameniorum plùs patiuntur quàm Mariti, quorum pauci belli pericula subeunt. Undè sequitur hâc ætate 1 : 3â. parte plures mori Mulieres quàm viros uxoratos.

Inter fœminas, quæ virginitati libant, citiùs moriuntur quàm connubio

uinctæ; præ 14 filiabus 90um. ætatis aunum attingentibus fuere 112 uxores, ferè octies plures.

Alio etiam respectu connubium vivacitati favet, quippè præ sex filiis qui 90um. annum attigere, fuere 43 Mariti aut vidui, adeòque septies plures.

CÆLIBATUS. Cum numerus cælibum fuerit ad numerum Maritorum aut Viduorum in dictâ Parœciâ, ut 32696 ad 15844, ferè duplus; facilè probatur quindecies plures cælibes quàm uxoratos ad senium seù ad 90um. annum & ultrà devenisse.

MONACHI. Vita media Religiosorum vulgò censetur longior quàm sæcularium, sed falsò; *Illustris Deparcieux*, qui Necrologos plurimorum Monachorum, minimè Pauperum, evolvit, invenit equidem nostris temporibus paulò breviorem vitâ mediâ cæterorum hominum. Verum tamen ex 78 vel 80 Monachis à 16°. ad 20um. ætatis annum admissis non nisi duo singulis annis moriuntur. Moniales verò multò minùs periclitantur à 20° ad 60um. ætatis annum quàm Mulieres seù Maritæ, quod evincit à partubus & graviditate potissimùm, circà 50um. ætatis annum, pendere Maritarum mortalitatem majorem.

Vulgò creditur non pauciores eâ de causâ obire Mulieres quàm in præliis Milites, intereà tamen juxtà observata *Grauntii in Actis Londinensibus anno* 1666; ex puerperio vix 1 : 100^{a}. Mulier moritur.

MORBI. Et cùm ad morbos devenimus, dolemus maximè quòd cùm tam facilis sit observatio in nosocomiis populosis circà genera morborum, eorumque eventus faustos & infaustos: nemo tamen eam in se susceperit, præter Ill. D. *Razous* Medicum Nemausensem, Doctorem Monspelii & Regiæ Societatis Scientiarum Correspondentem.

Quid obstat quòminùs ex Nosocomiorum fastis eruantur numeri ægrorum ingressorum, & ex illis seorsim salvorum, mortuorum &c. quorum omnium Acta scribi solemne est; quæ facta sunt potiora paucis exponam.

Ex Peste augustæ vindelicorum, quo tempore non nisi 1400 nati sunt, 13000 obierunt, seù quarta civitatis pars anno 1535.

Alesiæ verò anno 1721, non tantas strages Pestis edidit, quippè, intrà annum, 320 cives abstulit & intereà 322 nascebantur, erat autem Civitas conflata circiter decem millibus hominum, quorum 1 : 31a. pars obiit, ut extrà Pestem 1: 35^{a}. & nascebatur & moriebatur. Pestis verò mortalitatem repressere ordo eximius in Urbe servatus, victûs abundantia & Medicorum peritia.

Ex abortu vel dystociâ vix 1: 20 natorum pars.
Ex morbis convusivis . . . 1: 5.
Ex odontalgiâ dentitionis . . . . 1: 20.
Ex hæmoptysi, phtisi, amphimerinâ hecticâ . . . 1: 5.
Ex morbis inflammatoriis, febribus acutis . . . 1: 50.
Ex ascite, hydrothorace propèmodum 1: 50.
Ex senili facto juxtà *Grauntium* 1: 60.

Verùm

Verùm juxtà *D. Deparcieux* ex 100000 hominum, 164 seù 1 : 600 centenarium annum, & 252 seú 1 : 400 nonagesimum-quintum, superant, illos verò senili fato obire verosimilè est.

Multò certiores numeri inquirendi sunt ex numerosis Tabulis Nosologicis, quæ sequenti methodo ordinandæ.

TABULA NOSOLOGICA

Mens. Junii, Julii & Octobris anni 1752 à D. RAZOUS.

Classes,	Genera,	Ægri,	Sanati,	Mortui,	Residui,
Vitia	Herpes	2	2	0	0
	Anthrax	1	0	1	0
4	Anevrisma	1	0	0	1
	Ephemera exten.	145	136	2	7
Febres	Synochus	106	86	1	19
	Typhus	7	5	1	1
396	Amph. vel Tritæophia	60	51	5	4
	Quotid. Tert.	78	62	1	15
	Pleuritis putris	60	33	11	16
	Peripneumonia putris	8	5	2	1
	Phrenitis	7	6	0	1
Phlegmasiæ	Cynanche	2	1	1	0
	Gastritis	1	0	1	0
104	Rubeola	22	21	0	1
	Scarlatina	1	1	0	0
	Erysipelas	3	3	0	0
Dolores	Opthalmia	6	5	0	1
	Rheumatismus	36	32	0	4
52	Hepatalg. ac Splenalg.	10	10	0	0
Vesaniæ 1	Hydrophobia	1	0	1	0
Anhelationes	Asthma	1	0	0	1
4	Pleurodyne	3	3	0	0
Convulsiones	Hysteria	1	0	1	0
2	Epilepsia	1	0	0	1
Comata 1	Catalepsis	1	1	0	0
	Menorrhagia	1	0	1	0
Fluxus	Dysenteria	28	19	0	9
	Diarrhœa	13	13	0	0
44	Vomitus habitualis	2	1	0	1
	Phtisis	11	1	2	8
Cachexiæ	Ascites	11	1	4	6
	Ischuria	1	1	[illegible]	0
30	Scorbutus	4	4	0	0
	Aurigo	3	3	0	0
	37	638	506	35	97

sunt in hâc Tabulâ residui legitimi 57, cæteri in intervallum Julii & Octobris abeunt quorum exitum ignoramus.

Ex hâc Tabulâ sequitur, ex 600 circiter ægris in Nosocomio obviis, 500 sanari intrà menses duos, 35 vel 40 mori, & 50 vel 60 remitti ad aliud tempus.

Sequitur etiam morbos cæteris frequentissimos in Nosocomiis Militaribus ac civicis quale est *Nemausense*, esse 1°. Febres, 2°. Phlegmasias, 3°. Dolores, 4°. Fluxus, 5°. Cachexias.

Febres sunt ad cæteros omnes morbos chronicos ut 2 ad 3, *sic sentiente Sydenhamio.*

Acuti morbi Pyretici, ut Febres & Phlegmasiæ simùl obvii, sunt ad cæteros morbos ut 3 ad 1, circiter triplò frequentiores in Nosocomiis.

Juxtà hanc Tabulam classes perniciosiores sunt illæ, in quibus plures sunt mortui, respectu ægrorum numeri.

Febres auferunt 1: 40 febricitantium intrà duos menses.

Cachexiæ 1: 6 intrà idem tempus & diù durant adeòque demùm omnes ægros auferunt.

Phlegmasiæ 1: 7 intrà hoc spatium eripiunt, sed citiùs etiam hoc spatio desinunt.

Dolores sunt omnium minimè funesti, licet meritò exôsi.

Convulsiones chronicæ innocuæ ferè quoad vitam, ast acutæ funestissimæ.

Vesaniæ, Comata, Convulsiones chronicæ, Anhelationes, rarò Nosocomiis immorantur, & ad Morotrophia vel Orphanotrophæa dimittuntur.

Sic concinnari potest Tabula Nosologica, primæ columnæ apponenda nomina classium aut ordinum, secundæ generum ac si fieri potest specierum, tertiæ ægrorum ingressorum numerus, quartæ numerus sanatorum, quintæ mortuorum, sextæ residuorum in mensem subsequentem, septimæ observationes Practicæ, potissimùm characteres speciem morbi determinantes, aut methodum curatoriam adhibitam declarantes, aut exitûs morbi modum diversum ostendentes: v. g. ex pleuriticis sanatis, tot sudoribus, tot anacatharsi potissimùm sublevati; ex mortuis, tot suffocati, tot suppurati, tot in Phtisicos mutati &c; quoad methodum annotari debet, an methodus *Sydenhamiana*, an *Lobbiana*, an *Sthaliana* &c. adhibita fuerit, & quo successu; intrà quot dies faustus vel infaustus evenerit. Cùm autem in Actis Nosocomii numerus ægrorum & mortuorum quotis mensibus consignetur à curatoribus, ex his sua computa probare & corrigere poterit Medicus, adeòque omnis error vitabitur.

Si per decem annos in Populosis Nosocomiis hic labor exanthlaretur, publicique juris fierent hæ Tabulæ Nosologicæ, spes est fore ut plus intrà hoc spatium progrederetur Ars Medica quàm anteà intrà sæculum.

In Parœciâ B. Virginis anno 1746 invenit D. Præses numerum Infantum decennibus minorum, qui obiere tempore Epidemiæ Variolosæ, superasse numerum Infantum ejusdem ætatis, qui per decennium prægressum obire quotannis consueverant, & excessus ille ad 250 circiter ascendebat;

Undè concludere est probabiliter hos 250 variolâ obiisse. & cùm inquisivisset quot Infantes intrà primum, quot intrà secundum, tertium &c. ætatis suæ annum mortui essent, invenit

Ab	ortû	ad	1um. annum	26	mortuos.
A	1°.an.	ad	2um.	42	
A	2°.	ad	3um.	48	
A	3°.	ad	4um.	48	
A	4°.	ad	5um.	36	
A	5°.	ad	6um.	19	
A	6°.	ad	7um.	25	
A	7°.	ad	8um.	6	

Cùm verò simillimum sit horum maximam partem Variolâ, ejusvè sequelis, mensibus Augusto & Septembri, obiisse. jure concludo in hâc Epidemiâ & nî fallor in cæteris Variolis, majus multò esse mortis periculum intrà 3um. & 4um. annum constitutis, quàm junioribus aut annosioribus; ita ut octies plures ætatis anno 3°. vel 4°. moriantur quam anno ætatis 7°.; quare verò á 6°. ad 7um. annum 25 obierint, cùm antecedenti 19 & subsequenti 6 tantùm defuncti fuerint, hoc tribuendum videtur Odontalgiæ dentitionis, tunc ut plurimùm concurrenti. Ita & verosimilè est primo ætatis anno numerum mortuorum crevisse, quia Infantuli illi multò pluribus morbis hâc ætate sunt obnoxii, quàm annis subsequentibus. Undè Variola accedens eos faciliùs eripit.

Indè verò generosi illi Medici, qui hactenùs felicissimè Variolam septennibus aut Adultioribus inseverunt, & millenos in Angliâ, Italiâ, Helvetiâ morti eripuerunt, caveant ne tam utilem operationem adhùcdùm tentent in ætate trium vel quatuor annorum, ne infametur auxilium quod multis saluti fuit, pluribusque futurum est, si tandem Parentes in nostrâ Regione aures salutaribus monitis præbere non recusent: cùm verò semel præjudicia plebis hâc de re superata fuerint, tantò utilior erit generi humano Inoculatio, quantó in teneriore ætate fuerit instituta, cùm spes sit fore ut morti eripiat portentosum illum victimarum numerùm, qui antè septennium Variolæ succumbit: in ultimâ quippè hujus morbi Epidemiâ, juxtà calculum ab egregio Doctore D. *Coulas* institutum, dimidia fere pars Variolosorum huic morbo succubuit Monspelii. In Nosocomio veró inoculationis apud Londinenses ex 593 inoculatis, intrà 4 annos, unicus obiit, & constat quód citrà Variolam, ex Infantum quadriennium 100000, obeant intrà annum 5614, adeóque intrà mensem, seù spatium inoculationi destinatum circiter 4667, & proportionaliter ex 593, duos vel tres intrà 15 dies, saltem unum, mori ferè necessum sit. Illius itaque mors inoculationi vix est imputanda, cui aliorum salus majori jure tribuenda est.

Ex illis quæ hactenùs exposuimus, quàm-multa Corollaria eruere pronum est, suffecerit annotasse ex Tabulis Nosologicis, si quondam ad plures annos promoverentur; nec-non ex Necrologicis, si accuratiùs investiga-

rentur & nomen morbi adderetur, maximam lucem in prognosi Medicâ affulsuram esse; numquid periculum in dato morbo est proportionale mortalitati ætatis, sexûs, Regionis, temperamenti, victûs rationis, vitæ sortis, tempestatis, Epidemiæ? nonne etiam respondet morbi generi, speciei, ejusque gradui & intensitati?

Verùm hujus-ce multiplicis periculi accurata æstimatio repeti debet ex similibus Tabulis, & hæc æstimatio summi est in Arte Medicâ momenti, ergo has-ce Tabulas elaborare & perficere qui tentaverit, de humano genere & Medicorum ordine optimè meriturus est.

Ad verum in rebus Medicis & Physicis assequendum, duæ viæ patent, altera à *priori*, quæ à causis cognitis ad effectuum cognitionem nos ducit; altera *à posteriori*, quæ ex repetitis observationibus, similes eventus in similibus circumstantiis præsagit: utraque Medicis utilis est, posterior nondùm satis exculta, nondùm fundamentis satis firmis superstructa.

Scientia probabilitatum, seù Ars conjectandi in Medicinâ faciendâ haud dubiè magnam lucem fœneratura est; cùm, velint nolint Medici, felicitas praxeos ex accuratiori & solidiori conjecturâ dependeat; non secùs ac fortuna illorum Mercatorum qui opes suas mari committunt, aut qui aliorum naves constituto pretio spondent, eò melior evadit, quò in Arte conjectandi peritiores sunt. Qui enim accuratiùs nôrunt quota quæque navis, datum iter exequendo, à multis retrò annis perierit; ut v. g. centesima quæque, illi minùs multò periclitantur & sortem tutiùs experiuntur, quàm qui horum omnium eventuum & calculorum ignari, simile commercium suscipiunt.

Liceat itaque hujus Artis, in Tyronum gratiam, prima elementa aliquot exemplis & definitionibus illustrare.

Morborum potissimi eventus quos præscire maximè necessarium aut utile est Medicis, sunt faustus, scilicet salus, & infaustus, seù mors ægrotantium; ex quantocumque numero subjectorum eodem morbo ægrotantium, tot vel evasuros vel obituros esse certum est quot sunt ægrotantes. Ponamus hunc numer. $=$ 100. si quàm maximus fuerit observationum de eventibus dati morbi numerus, ut 100, 1000, quàm maxima erit & velut absoluta certitudo Physica praxi sufficiens.

Si ex 1000 v. g. phtisicorum numero constet ne unum quidem evasisse, *Titium* vel *Mevium* deindè simili morbo, in similibus circumstantiis, obiturum esse Physicè certum est; non secùs ac si eum evadere Physicè impossibile foret.

Certitudo eventûs est cognitio impossibilitatis eventûs contrarii.

Probabilitas eventûs est cognitio ejus eventûs possibilitatis; cognoscimus autem eventum esse possibilem, quoties in similibus circumstantiis quæ eum variare possunt, idem olim accidit. Si ex millenis ægris dato morbo laborantibus, unus, duo, tres &c. tantùm evaserint, est 1us. 2us. 3us. gradus possibilitatis eumdem eventum aliàs occursutum.

Quò numerus ille minor eſt toto, ſeù ſummâ omnium caſuum æque poſſibilium, eò probabilitas eſt minor.

Probabilitas minima eſt mera ignorantia eventûs: ſic ſi unus milleſimus, vel centeſimus tantùm ex dato morbo convaluerit, ignoro ferè omninò, utrùm *Titius* hoc laborans evaſurus ſit.

Probabilitas vocatur *dubitatio*, vel *ſemi-certitudo*, ſi numerus caſuum fauſtorum eſt æqualis dimidiæ parti numeri omnium caſuum poſſibilium: ſic ſi 500 ex 1000 ægris revaluerint, dubia eſt prognoſis fauſta de *Titio* proferenda, ſeù pari jure certandum eſt, eum vel moriturum vel evaſurum.

Probabilitas vocatur *veriſimilitudo*, ſi numerus caſuum fauſtorum ſuperet dimidiam partem omnium caſuum; ſic ſi ex 1000 ægris, 800, 900 evaſerint; veroſimile eſt *Titium* cum ſanitate in gratiam rediturum, atque major eſt vel minor veriſimilitudo, proùt propiùs à dimidio ad totum accedit.

Hinc concludere fas eſt, errare eos, qui ex poſſibilitate phænomeni, aut ejus principio cognito, ejus exiſtentiam inferunt, ut qui dicunt: *hoc fieri concipitur*, *ergo fit*; vel *hoc fieri debet*, *ergo fit*. Cùm cognitio poſſibilitatis ſimplicis, ſeù minimus gradus probabilitatis, ab ignoranciâ minimè diſtinguatur, ex cognito principio morbi, ejus tantùm poſſibilitas habetur; ad exiſtentiam verò inferendam neceſſaria eſt ejus cauſæ cognitio, ſi deſit obſervatio.

Probabilitas eventûs eſt, ut numerus caſuum in quibus propoſitus eventus locum habet, ad numerum caſuum omnium poſſibilium.

Si eventus propoſitus pendeat ab aliis eventibus fortuitis, ſeù qui non evidenter dependent à causâ determinatâ, probabilitas eventûs eſt, ut factùm ex probabilitatibus ſingulorum.

In morbis eventus variat prò diverſis effectibus Medicamentorum, ægri voluntario regimine, Pharmacopolæ fide, Medici peritiâ, ſedulitate, &c. utcùmque verò illi ſingulares eventus fortuiti ſint, non minùs certò de eventu fauſto vel infauſto pronuntiare poteſt, qui magnum ſimilium caſuum numerum ex Tabulis Noſologicis cognoſcit.

Prudens dicitur Medicus, qui, in Arte conjectandi ſivè innatâ, ſivè acquiſitâ, verſatus, omnes circumſtantias, quibus mutari poteſt eventus morbi, attentè circumſpiciens & trutinans, futuros eventus proſpicit & rariùs à vero aberrat.

Ad prudentiam itaque Medicam requiritur ſcientia Artis conjectandi, in eâ exercitatio, circumſpectio, cognitio influxûs cauſarum, principiorum, circumſtantiarum, in datum eventum & horum energiæ accurata æſtimatio.

Si ex caſibus fortuitis, alii ſint faciliores cæteris, probabilitas eventûs creſcit, ut facilitas caſuum quibus ſimilem alium expectamus; ſed caſus magis poſſibiles cæteris, ſæpiùs eveniunt, adeòque ex numero caſuum, in quibus datus eventus accidit, eam poſſibilitatem eruimus.

Utinàm aliquandò liceat cuique morbi ſpeciei gradum probabilitatis

fausti vel infausti successus assignare, quod ex Nosologicis Tabulis expectandum esse putamus.

SCALA PERIODI HUMANÆ VITÆ EXHIBENS NUMERUM viventium & morientium cum vitâ mediâ in singulis ætatibus.

D. Kerseboomii.

Anni ætatis	Numer. vivent.	Numer. mort.	Vita media ann. mens.
0	1400	275	34 . 6
1	1125	50	41 . 9
2	1075	45	42 . 8
3	1030	37	43 . 6
4	993	29	44 . 2
5	964	17	44 . 5
6	947	17	44 . 3
7	930	17	44 . 0
8	913	9	43 . 9
9	904	9	43 . 3
10	895	9	42 . 8
11	886	8	42 . 2
12	878	8	41 . 7
13	870	7	40 . 11
14	863	7	40 . 3
15	856	7	39 . 7
16	849	7	38 . 11
17	842	7	38 . 3
18	835	9	37 . 7
19	826	9	36 . 11
20	817	9	36 . 3
21	808	8	35 . 7
22	800	8	35 . 0
23	792	9	34 . 5
24	783	11	33 . 10
25	772	12	33 . 3
26	760	13	32 . 8
27	747	12	32 . 1
28	735	12	31 . 6
29	723	12	31 . 0
30	711	12	30 . 6
31	699	12	30 . 1
32	687	12	29 . 8
33	675	10	29 . 3
34	665	10	28 . 10
35	655	10	28 . 4

Anni ætatis.	Numer. vivent.	Numer. mort.	Vita media ann. mens.
48	530	12	20 . 7
49	518	11	20 . 0
50	507	12	19 . 5
51	495	13	18 . 10
52	482	12	18 . 4
53	470	12	17 . 10
54	458	12	17 . 3
55	446	12	16 . 9
56	434	13	16 . 2
57	421	13	15 . 8
58	408	13	15 . 2
59	395	13	14 . 7
60	382	13	14 . 1
61	369	13	13 . 7
62	356	13	13 . 1
63	343	14	12 . 7
64	329	14	12 . 1
65	315	14	11 . 7
66	301	14	11 . 1
67	287	14	10 . 7
68	273	14	10 . 1
69	259	14	9 . 7
70	245	14	9 . 2
71	231	14	8 . 8
72	217	14	8 . 2
73	203	14	7 . 9
74	189	14	7 . 3
75	175	15	6 . 10
76	160	15	6 . 5
77	145	15	6 . 0
78	130	15	5 . 8
79	115	15	5 . 4
80	100	13	5 . 0

Anni ætatis.	Numer. vivent.	Numer. mort.	Vita media ann.	mens.	Anni ætatis.	Numer. vivent.	Numer. mort.	Vita media ann.	mens.
36	645	10	27	10	81	87	12	4	9
37	635	10	27	3	82	75	11	4	5
38	625	10	26	8	83	64	9	4	1
39	615	10	26	1	84	55	10	3	8
40	605	9	25	6	45	45	9	3	4
41	596	9	24	10	86	36	8	3	1
42	587	9	24	2	87	28	7	2	10
43	578	9	23	6	88	21	6	2	7
44	569	9	22	11	89	15	5	2	5
45	560	10	22	4	90	10	3	2	2
					91	7	2	2	0
46	550	10	21	9	92	5	2	1	9
					93	3	1	1	6
47	540	10	21	2	44	2	1	1	0
					95	1	1	0	6

NUMERO MORTUORUM SUPPOSITO = 100000.

quot sint mortui ex quâvis ætate.

Ætates	Mares	Fœminæ	Summa
Antè 1um. annum	16232	14378	30610
Inter 1 & 3	5863	5956	11819
Inter 3 & 5	2823	2791	5614
Inter 5 & 10	2485	2415	4900
Inter 10 & 15	1085	1024	2109
Inter 15 & 20	955	927	1882
Inter 20 & 25	1191	1052	2243
Inter 25 & 30	1223	1171	2394
Inter 30 & 35	1266	1359	2625
Inter 35 & 40	1158	1104	2262
Inter 40 & 45	1468	1363	2831
Inter 45 & 50	1306	1116	2422
Inter 50 & 55	1599	1385	2984
Inter 55 & 60	1554	1467	3021
Inter 60 & 65	1737	2254	3991
Inter 65 & 70	1754	2414	4168
Inter 70 & 75	2079	2919	4998
Inter 75 & 80	1500	2166	3666
Inter 80 & 85	1083	1813	2896
Inter 85 & 90	601	961	1562
Inter 90 & 95	212	375	587
Inrer 95 & 100	95	157	252
Ultrà centesimum	57	107	164
	49326	50674	100000

Periculum eſt mali futuri probabilitas.

Perceptio hujus probabilitatis, ſi jacturam noſtrorum bonorum reſpiciat, ut jacturam, visûs, auditûs, vitæ &c., averſationem quandam, ſivè ſenſitivam, ſivè rationalem, habet comitem, quæ vocatur *Metus*; & ille metus, ſi rationalis ſit, eò major eſt, quò malum gravius, adventus propior, probabilitas major.

Sed hæc de Logicâ probabilium Arti Medicæ applicatâ ſufficiant.

ARGUMENTABUNTUR.

R. R. D. D. PROFESSORES REGII.

R. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

R. D. HENRICUS HAGUENOT, *Decanus.*

R. D. ANTONIUS FIZES, *Pro Decanus.*

R. D. FRANCISCUS DE SAUVAGES.

R. D. FRANCISCUS DE LAMURE.

R. D. GABRIEL-FRANCISCUS VENEL.

R. D. CAROLUS LE ROY.

R. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHE'S.

MONSPELII,
Apud AUGUSTINUM-F. ROCHARD, Regis & Univerſitatis Typographum unicum 1762.